



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1204. Usque Ad Annum 1230

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1763

VD18 90118030

§. 54. Regula S. Francisci approbatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66406)

Sæcul. XIII. A. C. 1209. lienissimo, mansuetudine & patientia exploratis, exempta est omnibus.

§. LIV.

Regula S. Francisci approbatur.

Bonav. c. 3. Vir sanctus numerum Fratrum suorum crescere conspiciebat; undecim enim tunc erant, ultimusque ex Assisio urbe, nomine Silvester, Sacerdotio initiatus, advenerat, ex Presbyteris, qui societati S. Francisci adscripti sunt, omnium primus. Tunc vero Franciscus sibi sociisque stylo simplici Institutum conscripsit, cujus fundamentum posuit Evangelium, adjectis paucis præceptis, quæ necessaria videbantur, ut omnibus Fratribus unica vitæ ratio esset. Tum, cum Regulam suam a Papa confirmari cuperet, cum parva sua societate ejus conspectum subire statuit, solius Dei auxilio confisus. Ubi Romam advenit, Guidonem Episcopum Assisinatem ibi habuit, qui, per amicum excepto, promissit omnis generis auxilium, atque ut faciliorem viam ad ea, quæ destinaverat, perveniendi monstraret, sibi arctum amicitiae vinculum & Cardinali, Joanni de S. Paulo, Episcopo Sabiniensi, intercedere significavit. Præsul hic viros, singulari pietate conspicuos, amabat; cumque jam ante Francisci virtutes, & Instituti novitatem, referente Episcopo Assisinate

Leg. 3. soc.
ap. Vading.
1210. n. 7.

Sæcul. XIII.
A.C. 1209.

ssinate inaudiisset, vehementi desiderio
eum videndi, ac cum ipso sociisque ser-
monem conferendi, tenebatur. Ubi
ergo scivit, eos Romæ esse, ad se accer-
sitos, & honorifice exceptos, familiari
colloquio dignatus est, utque valedixit,
rogavit, ut se pro Ordinis Fratrem & socio
semper haberent.

Post paucorum exinde dierum inter-
vallum, Franciscus Innocentium Papam
adiit, qui maximi momenti negotiis
mentem occupantibus, virum sibi igno-
tum, ne quidem auditum, repulit. Sed
cum nocte sequente per somnium sibi
visus fuisset palmam conspicere, inter
pedes suos crescentem, & in altissimam
arborem evadere, credidit, hac figura
virum pauperem, a se rejectum, porten-
di. Conquisitum ergo in conspectum
suum deduci iussit, ac postquam de re-
bus spiritualibus differentem audiit, ut
erat perspicacissimus, illico in Francisco
eandem admirabilem, cordis purita-
tem, in inceptis constantiam, ac zelum
propagandæ Religionis ardentissimum,
cognovit. Diligere virum cœperat, &
petitis annuere cupiebat; rem tamen
distulit, quod hoc Institutum quibusdam
Cardinalibus res omnino novas, & supra
vires humanas positas, præcipere vi-
deretur. Tunc vero Episcopus Sabinen-
sis ad Papam aliosque Cardinales, *cave-*

Sæcul. XIII. A.C. 1209. *te, inquit, ne, si pauperis hujus viri preces respuitis, una Evangelium rejiciatis, cum vitæ forma, quam introducere cupit, nihil aliud quam ipsa Doctrina Evangelica esse videatur. Qui enim diceret, perfectionem Evangelicam aut votum editum, eam consequendi, quædam sanæ rationi adversa, vel impossibilitate adjuncta habere, Blasphemiam in Jesum Christum jaceret, Evangelii Auctorem. Quo argumento permotus Papa, & ad Franciscum conversus, ora, inquit, Fili mi, ut Deus per te voluntatem suam nobis revelet. Postquam igitur Vir sanctus orasset, & ad Pontificem redisset, obtinuit, ut Regulam suam reciperet.*

Vadin. n. 18. Ceterum hæc Approbatio Innocentii Papæ III. solummodo viva voce, anno millesimo centesimo decimo, data est.

§. LV.

Regula Carmelitarum.

s. 31. Leo
Allat. opusc. Sub idem ferme tempus Albertus, Patriarcha Latinus Hierosolymitanus, Regulam Carmelitis dedit, de quorum origine præ ceteris ista magis certa tenemus. Joannes Phocas Monachus Græcus, ex Insula *Pathmos*, qui cum loca Redemptionis nostræ anno millesimo centesimo octogesimo quinto invisisset, narrationem itineris sui absolvit in hæc verba: *In monte Carmelo est ca-*
verna